# Theses,

quas

adsentiente Max. Ven. Consist. Eccles. Lundensi

pro Examine Pastorali subeundo

p. p.

CAROLUS LINDEBLAD,

Pastor designatus;

d. III Novembris MDCCCXXXII.

---

LUNDÆ,

Ex Officina BERLINGIANA,

MDCCCXXXII.

## Th. I.

Quænam Orientis provincia ארץ עוץ, Job. 1: 1, intelligatur, inter Criticos Sacros non constat. Alii hac terra Idumæam significari, alii Vallem illam Damascenam, quæ Guta nominatur, contendunt. Quamvis utraque regio Jobi patria esse potuit, tamen plurimæ rationes & inter eas, quod Threnor. 4: 21 dicitur, suadere videntur, ut priorem sententiam posteriori præferamus.

## Th. II.

In loco Paulino II Tim. 4: 17 interpretando *και ερρυσθην εκ ϛοματος λεοντος*, ita dissentiunt interpretes, ut nonnulli verum Leonem, nonnulli imperatorem Neronem, a cujus veluti faucibus Apostolus ereptus dicitur, cogitent. Etsi non temere a proprio & genuino vocabulorum sensu recedendum est, tamen hoc loco *το λεοντος* methaphorice adhibitum esse & horrendum illum tyrannum denotare, nulli dubitamus.

## Th. III.

Theologia & Philologia Sacra tam arcto cohærent nexu, ut neque hæc sine illa, nec illa sine hac, commode possit tractari.

## Th. IV.

Bene Lactantius in IV Instit. Lib. & Cap. III: ubi sapientia cum religione inseparabili nexu cohæret; utrumque verum esse necesse est, quia & in colendo sapere debemus, i. e. scire, quid nobis & quomodo sit colendum, & in sapiendo colere, i. e. re & actu, quod scierimus, implere.

## Th. V.

Callide & sapienter observavit Baco, Philosophos, dum tantum apparatum adversus mortem colligunt, ipsam magis timendam efficere.

## Th. VI.

Quemadmodum Concionatoris Sacri multum interest, ut oratio illius sit perspicua, suavis atque gravis, ita eum parum decent histrionales modi & scenicus plane gestus.